e-codices

haec est electio gratiae quo omnia bona merita preueniuntur humana. Si enim nullis bonis meritis datur. iam non gratis donatur. sed debita redditur. Ac per hoc non uero nomine gratia nuncupatur ubi merces sicut idem dicit apostolus non inputatur secundum gratiam. sed secundum debitum. Si autem uera sit gratia. id est gratuita nihil inuenit homine cui merito debeatur.

Quod bene intellegitur & in eo quod dictum est. pro nihilo saluos facies eos. profecto ipsa dat merita non meritis datur.

Preuenit ergo etiam fidem & qua omnia bona opera incipiunt.

Iustus enim sicut scriptum est & fide uiuit. porro autem gratia non solum adiuuat iustum. uerum etiam iustificat impium. Et ideo etiam cum adiuuat iustum & unde etiam eius meritis reddi nec sic desinet esse quoniam id adiuuat quod ipsa largita. Propter hanc itaque gratiam que cuncta bona merita humana precedet.

Non solum christus ab impiis occisus est. uerum etiam pro impiis mortuus est. Et antequam moreretur. non utique iustos sed iustificandos elegit apostolos quibus ait. Ego uos de mundo elegi. quibus enim dixit de mundo non estis. Ne putarent se numquam fuisse de mundo. mox addidit. Sed ego uos de mundo elegi. Profecto ut de mundo non essent ipsius in eos electione collatum est quo circa si per suam iustitiam non per gratiam eius eligerentur. non de mundo electi essent. quoniam de mundo iam non essent. si iam iusti essent. Deinde si propterea ea sunt electi quia iam iusti erant. ipsi priores iam dominum elegerant. Quis enim potest esse iustus nisi elegendo iustitiam. Finis autem legis christus ad iustitiam omni credenti.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 150, p. p.%2043 – Composite manuscript containing books of pennance (Poenitentiale Capitula Iudiciorum, Poenitentiale Theodori, Poenitentiale Vinniani, Poenitentiale Sangallense simplex, Poenitentiale Sangallense tripartitum), texts by the Church Fathers, and more (http://www.e-codices.ch/en/csg/0150/p.%2043)